

ANIMADVERSIONES  
DE CAUSA  
RAPIDÆ PROPAGATIONIS  
FANATICISMI

IN SYMPATHIA ANIMORUM HUMANORUM  
QUÆRENDA;

Quas

*Venia Ampl. Fac. Phil. Ab.*

*Publicæ censuræ submittunt*

*NICOLAUS MAGNUS TOLPO,*  
*Pbil. Mag. Borealis,*

*Et*

*WILHELMUS ÅKERMAN,*  
*Ostrobothniensis.*

*Xc*


*In Auditorio Majori die XIX Decembr. MDCCXIV.*

---

ABQÆ TYPIS FRENCKELLIANIS.

*Felix qui rerum potuit cognoscere causas.*

VIRG.



## §. I.

**F**anaticismus is vulgo vocatur animi status, in quo (ut vetus loquitur Auctor) homo, latenti *Divinitatis instinctu*, mutato mentis ordine & instantis religionis potestate possessus, pro erronea sua persvassione, versatur atque agit; sive ubi animus rebus inflammatur, quæ aut non existunt, aut scilicet id non sunt pro quo eas mens excitata habet (\*). Deploranda hæc mortalium conditio ex una parte, satis est diversa ab *Insania*, ex altera vero quamvis multa cum *Enthusiasmo* communia habeat, tamen inde etiam non parum differt, non solum quod ad motus animi, qui in fanatico solent esse vehementiores, sed etiam quod Enthusiasmus possit inesse omnibus vehementer, siue cum affectu magno animi sententiaz alicui addictis, etiam veræ & clare conceptæ; Fanaticismus autem, præter quam quod ad res religiosas præcipue (etymologia etiam favente) soleat restringi, ideas supponit obscuras, confusas & vagas.

A

Hinc

---

(\*) Cfr. HARTLEYS Betrachtungen über den menschen; Zweyter Band, p. 150 Edit. Rostock: und Lips. 1773.

MURATORI über die einbildungskraft des menschen, mit zufätszen von G. H. Richerz, Zweyter Theil. (Lips, 1785) pag. 155 fqq.

Hinc vocabulo quidem Enthusiasmi fanaticos motus non raro videmus indigitari, non omnino male; sed inde tamen falso colligeretur Fanaticismum idem plane cum Enthusiasmo esse, quem saepe in laude poni videmus, quod de Fanaticismo nemo potest affirmare.

Quemadmodum vero animi mortalium duplii in primis bono vehementer adficiuntur, puta, eo quod ad felicitatem suam in hac vita maxime spectat, nempe salutem reipublicæ, & illo quod post mortem speramus fortē nostram beatam redditurum; ita, paullo latius sumto vocabulo, *Fanaticismus* (quo sensu nostro verbo Swärmeri rectius respondet) duplex homines turbare præcipue solet: nimirum quatenus versatur vel circa res sacras, qui *Fanaticismus Religiosus* vocatur, vel civiles, qui *Politicus* appellari potest. Reliquæ genera animorum vehementius inflammatorum ad majores hominum coetus pertinere eosque simul abripere rarius solent, nec tanti periculi plena tantorumque motuum effecticia fuisse reperta sunt.

Ad quocunque autem duorum istorum generum præcipuorum animum nostrum advertimus, insigniter efficacem in fata mortalium Fanaticismum & fuisse & esse videmus. Ejus ope, ut historia docet, illis maxima enata sunt mala, ut bella, non externa modo, verum & civilia, quæ ipsa plerumque solent esse atrocissima: gentes magnæ subactæ, multæ civitates destructæ, urbes incendio deletæ, regiones vastatæ, multaque millia hominum vel armata manu occisa, vel variis crudelissimis cruciatibus torta &

afficta, vel partim in exilium acta, partim in servitutem ejecta, verbo, quacumque quæ excogitari possit miseria affecta sunt. Neque hi soli Fanaticismi fuere foetus; sed ejus vi mores quoque & vivendi modi multarum gentium magnas mutationes subierunt, aut contra ita stabilitati fuerunt ut per malta sacula immutati viguerint.

Fuere tempora quibus Fanaticismus religiosus mala mortalium vehementer multiplicavit; fuere alia quibus a Politico illo non minus, graviter afflictæ civitates sunt; cuius generis exemplum nostra etiam hæc ætas videt sane stupendum. Quæ omnia, maximos Fanaticismi effectus, quum in animo agitaremus; specimen Academicum edituri, de formidoloso hoc hominum statu pauca disserere, operæ pretium duximus, optantes ut cordati prudentesque viri, periculo adeo morbo & præcavendo & sanando aptissima efficacissimaque remedia invenire & adhibere non negligant, quo clades, quibus multas afflictas fuisse gentes dolendum est, saltim a Patriæ dulcissimæ finibus longissime arceantur ac avertantur.

## §. II.

Quocumque respectu Fanaticismum consideremus; duo in eodem in primis observanda sele offerunt. Unum, quod mortales ea peste laborantes vehementibus affecti sint animi motibus, qui non quidem in omnibus, sed in iis tamen rebus, quæ ad fanaticas eorum opiniones spectant, facile effervescunt. In quibus quamvis affectus

fanaticorum non semper ejusdem sint ardoris; ad id tamen vehementiae fastigium non raro evesti sunt, ut non modo aliis hominibus maxima intulerint mala, verum & ipsi varia pericula, cruciatus maximos, mortem ipsam, verbo omnia mortalibus acerbissima despicientes, opinionum suarum defendendarum causa, libenter adiverint. In altero genere id magna attentione, dignum merito existimamus, quod Fanaticismus insigni rapidaque celeritate, instar pestis, propagetur, atque brevi admodum tempore, per multas regiones graviori soleat: ac licet maxima &, ut mortales opinati sunt, efficacissima remedia impedimentaque illi objecta fuerint; haec nihilominus frustanea ceciderint.

Ne vero quis nos falsitatis accuset; experientia optima illa duce opitulante, dicta probare facile licebit. Quod itaque attinet ad vehementiam affectuum fanaticorum, permulta quidem ejus rei evidentissimaque Historia edit exempla: sed vel pauca attulisse sufficerit: inter quae vehemens ille, quem notissimus Arabs Muhammedes excitavit, Fanaticismus, eminet; cuius sectatores, falsis suis opinionibus incitati, & gravissimis bellis, vastationibus variisque aliis calamitatibus multas gentes adfecerunt & sese, religionis suae propagandæ causa, periculis, bellicisque incommodis omnis generis, ultro obtulerunt. Quid? quod adhuc hodie post duodecim fere saecula, usque adeo deliramentis suis addicti sunt, ut vel maximis cruciatibus inde abduci ægerrime queant. Præterea vehe-

mentes affectus Fanaticismi in plerisque sectis intra cœtum Christianorum conspicui satis fuerunt: ex quibus nominasse Anabaptistas (\*) & Jansenistas (\*\*) a re nostra alienum non putavimus.

Quod ad genus fanaticismi politicum, is ardor animorum, de quo nunc agitur, in partium studiis factiobusque, quibus res publicæ non raro laborant, plerumque conspicitur. Exemplum porro rapidæ propagationis errorum fanaticorum luculentum item exhibent celeres religionis muhammadanæ progressus; ac quis ignorat quanta vi quantaque celeritate hodie Fanaticismus politicus de Gallia in multas Europæ regiones penetraverit atque turbas conjurationes & sinistra confilia genuerit? Nec aliquis putet, quod Galli se pro libertate pugnare afferunt, re utique pulcherrima, ideo a Fanaticismi culpa hanc festam vacare, quam enim turbidas de libertate civili ideas vulgus ei addictum foveat, difficile non erit animadvertere, & docere.

### §. III.

Quum igitur ingentem hominum multitudinem agitatam dirissima atque humanæ felicitati inimicissima incommoda libenter adire comperimus, hosque tam misere errantes mortales ad talia, vi cogitatorum & opinionum,

A 3

lon-

(\*) Vide MURATORI I. c.

(\*\*) Nimirum quod ad miracula, quæ apud monumentum Abbatis Parisii ad templum S:ti Medardi facta perhibentur Parisis 1727 -- E. 31. Lfr, LESS Der varheit des Christl Rei, §, 43 - - 45r.

longe a veritate, si mo aliquando etiam a verisimilitudine alienarum, compulso fuisse cernimus; maxima sane nobis est ratio curiosi & mirantes querendi: quænam hujus rei sit causa? Neminem sanum fugit, quam inculta indeque imbecilla sint vulgi ingenia, quanta in ignorantia quantisque tenebris versentur, quæ res magnam eam efficit credulitatem, quam plebi plerumque inesse experientia docet. Cui credulitati, ob eandem rationem, incredibilem & singularem mirabilium amorem adnexum esse videmus. Hæc observantes astuti & periti homines, nefando proprii lucri studio excæcati, populos ad credendum varias molimentis suis aptas res sape induxerunt; de quarum magna utilitate illos, egregia & auditoribus apta facundia, persuasos reddere valuerunt. Quo facto absurdissimas opiniones, animis simplicibus infixas, adeo astute eum horum φλαύρια conjunxere, ut idem eas simili ac se ipsos amore complexi sint. Tali modo multi Δημογεγοι Fanaticismum perniciosum excitaverunt, inter quos, si eundem cuius exemplum jam allatum fuit famosissimum Muhammedem retulerimus, haud sane erraverimus. Alii præterea boni quidem ceteroquin homines, sed superstitionis atque imaginationis delirantis vi a vero seducti, innocentes Fanaticismi auctores haud raro fuere.

In his rebus multas causas videmus, quæ Fanaticismi quidem originem ostendunt, sed quæ ad omnes tamen ejus affectiones explicandas non sufficiunt; in iis enim adhuc sufficiens neque continuati ardoris in fanaticis-

mo conspicui, neque rapiditatis in eodem propagando  
 (de quicus cfr. § præced.) ratio invenitur: Quam igitur  
 aliunde & quidem ex ipsa mentis humanæ natura arces-  
 sendam esse putamus. Etenim hanc qui attente confide-  
 raverit inter multas alias facultates, animis humanis insignem  
 etiam quandam inesse *propensionem*. & *vim imitationis*  
 perspiciet: Qva efficitur ut mortales, cum vel vident vel  
 alio quocumque modo, aliorum sensus (v. gr. doloris, læ-  
 titiæ & sic porro, verbo, quoslibet animi motus) experi-  
 untur, ipsi continuo iisdem sensibus aut animi motibus  
 afficiantur. Neque inepte hanc rem indicavit Horatius(\*)  
 canens:

*Ut ridentibus arrident ita flentibus; adjunt;*  
*Humani vultus.* - - - -

Hæc vis animorum, cui Sympatiæ inditum est no-  
 men, quamquam non semper ejusdem sit vehementiæ:  
 tamen experientia indubia teste, cuique homini inhæret,  
 atque ad omnis generis animi motiones sese extendit.  
 Præterea, ingenia infantium & adolescentium solere ve-  
 hementius, ac mentes hominum mediæ atque proiectio-  
 ris ætatis, vi Sympathiæ hujus moveri, docti observarunt  
 viri(\*\*). Quoniam vero indubium est, ingenia inculta, a-  
 deoque vulgi, inprimis esse puerilia, nec non sensuum  
 imperio magnopere parere; hæc jam satis non modo o-  
 ften-

(\*) *Lib. De arte Poët: vers. CI.*

(\*\*) Cfr. SEARCH, *Light of Nature pursued*, Vol. I, Part. II, chapt.  
 19: §. 2.

stendunt fieri posse, ut Sympathia animorum humano-  
rum multum conferat ad Fanaticismi propagationem; sed  
& hanc rem verisimilem prorsus reddunt. Cui probabi-  
litati nova accedit vis, si in memoriam revocamus ea  
quæ in antecedentibus de ardore affectuum fanaticorum  
memoravimus; namque cum affectibus maxima res est  
huic animorum Sympathiæ, utpote cui nullus eslet locus,  
si de illo omnes motus tollerentur. Porro circa originem  
Fanaticismi, quæ scil. non parum adscribi debet facundiae  
auctorum, id observatu dignum est, quod hujus facultati-  
vis maxima vis consistit in Sympathia illa excitanda, quæ  
efficit ut judicia oratoris apud auditores pro naturali evi-  
dentiæ valeant, etiamsi hi illa parum perspiciant (\*). Dein-  
de, quia compertum quoque est, affectus animi, quanto  
vehementiores extant, tanto majorem simul vim Sympa-  
thiæ efficere; quis igitur dubiter, quin ex hac ipsa vi ra-  
pida contagio Fanaticismi optime explicari possit? Sed  
progrediendum est ad hæc paulo uberiorius & fusius eno-  
danda.

## §. IV.

Quum ad vehementiam affectuum fanaticorum dili-  
gentius attendimus; diuturna eorum continuatio satis mi-  
rabilis primo quidem intuitu videtur; nam ardorem affe-  
ctuum, quo vehementius & celerius excitati fuerint, eo  
citius considere, non raro comperimus: Id quod tamen  
in

---

(\*) Vide SEARCH l. c.

in fanaticis locum semper non habere, indubitata testatur experientia. Nos vero hujus continuati ardoris rationem eidem de qua diximus vi Sympathiæ plurimum adscribendam esse minime dubitamus. Quemadmodum enim motiones animi humani, pro ratione vehementiæ suæ, Sympathiam aliorum excitant (cfr. § præced.); ita hæc vis eosdem in hisce motus efficit; qui affectus iterum cum aliis, hique porro cum aliis & sic porro, pari omnino ratione communicantur: qua re fit, ut multi admodum mortales, mutua sensuum quasi contagione, unius vel paucorum animorum motiones rapide sentiant. Nihil fere magis insignem Sympathiæ hujus vim demonstrat, quam quod, in turba sodalium, rem aliquam ludibrio minime habendam ridentium, inviti illis arridere sape cogamur, etiamsi id factum ipsi turpe æstimeremus. Oportet vero, ut his effectibus Sympathiæ id adhuc addamus, quod ejus ope, illa contagio illique de quibus nunc sermo est affectus, alio etiam respectu, insigniter multiplicentur: primi scilicet affectuum horum propagatorum auctores, quum vident aliorum animos motos, ipsi, per Sympathiam ab his suscitatam, iterum adeo moventur, ut sui affectus, sic mutuo data atque accepta vi, nova inde augmenta capiant, & consequenter in aliis quoque auctos sensus ulterioris expergeteriant. Exemplis hoc illustrare non ineptum ducimus.

Si, post longam & continuam absentiam, anicum nostri amantissimum videre nobis contigit; primo statim momento jucundos equidem animi sensus experimur; sed

qui quanto magis alter alterum aspicerit, eadem ratione  
 multo adhuc fiunt jucundiores, id est mutuo dati & re-  
 cepti multiplicantur: in cuius rei testimonium ad quem-  
 que cordatum mortalem provocamus. Similiter quo ma-  
 gis infesti inimici se invicem conspiciunt, eo infesiores  
 inde redduntur, idque ob eandem omnino rationem (\*).  
 Ex his igitur rite observatis, perspectis & ad rem nostram  
 applicatis, indolem ardentum affectuum fanaticorum satis  
 bene explicari posse existimamus. Sic non est quod mi-  
 remur ardorem fanaticum maximum in magna congrega-  
 tata turba conspicere; nam quo plures mortales con-  
 veniunt, eo plures de iisdem affectibus participant, eo  
 multiplicatior inde emergit Sympathiae contagio, eo ve-  
 hementiores hinc fanatici motus. Luculentissimum nec  
 non aptissimum hujus rei exemplum præbent fanatici illi  
 Dianaë Ephesinaë cultores, de quibus mentio fit *Actor* 19:  
*c. 27 - - 34.*

## §. V.

De altero vero illo genere, quod in fanaticismo  
 magna attentione dignum esse supra (§. 11.) monuimus,  
 propagationis nempe celeritate, jam pauca adferre, mate-  
 riæ

(\*) Non quidem negandum. *Φιλαυτία* multum in allatis exemplis  
 valere nihilo tamen minus Sympathiae major vis in iisdem est in-  
 dubia: exstant enim homines, qui noxam eorum sensuum animi,  
 quos odium vel invidia efficiunt, perspicieunt, ideoque ipsa *Φιλαυτία*  
 compelluntur ad ejusmodi affectus extirpandum, id quod tamen,  
 inimicum videntes, efficere nequeant.

riæ natura ordinisque ratio præcipiunt. Neque ejus rei explicatio erit difficilis; id quod pro virili, sequentibus probare conamur. Omnes sensus & affectus in mortalium animis versantes atque Sympathiæ contagione cum aliis communicati, prout vehementes sunt; ita eadem ratione & modo celeriter rapideque propagantur. Hoc evidenterissime cernitur in exemplo, quod omnium temporum hominibus est expertissimum: quotidie scilicet videmus, in coetibus sodalium, risum, in momento totum sodalitum, quo vehementius eo rapidius, Sympathia id effidente, perungari, quamquam multi eorum saepe ipsi ne-  
sciant cur rideant. Pariter in bello, unus vel pauci fugientes, incredibili celeritate, sociis pugnantibus timorem injiciunt; et contra heroës, magnam animi sui virtutem in vultu & gestibus præferentes, timidos militum animos erigunt. Qvod vero affectus fanatici saepissime vehementes esse solent; patet, rapidam quoque Fanaticismi propagationem a vi Sympathiæ animorum humanorum maxime promoveri. Experientia hanc rem extra omne ponit dubium; ea enim teste, quo majori cum calore ardoreque affectuum Fanaticismus fuit conjunctus, eo majori quoque celeritate propagatus fuit.

Quamvis his innixi rationibus, rapidæ propagatio-  
nis Fanaticismi causam Sympathiæ animi in primis tribuendam esse non dubitemus; ideo tamen alias quoque ejus rei causas dari, minime negatur. Eminent inter has violenta impedimenta, que a mortalibus Fanaticismo, ad magnam ejus vim infringendam, illata, citra opinionem

eorum profecta sunt & hunc s̄epissime auxere. Sed hoc quoque ipsum, quod ad magnam partem, ope Sympathiae factum esse, re accuratius pensitata, quisque videbit. Namque experientia toties jam a nobis in subsidium vocata, testatur, vim fanaticis illatam affectus eorumdem non raro augere: neque id mirum; quoniam pro sua similiumque suorum salute se pati (quod sane egregium in se est facinus) opinantur. Verum ubi vehementes existunt affectus, ibidem eo majorem simul Sympathiae excitari vim, jam est probatum; unde res est in aprico.

## §. VI.

Fortasse autem aliqui, nos tamquam in errore versantes, accusent, objicentque, quod inter homines, qui in simili versantur statu iisdemque rebus circumstantibus, vel qui eadem gaudent animi indole atque iisdem propensionibus, vel iisdem parent moribus, vel similibus ideis & eadem cogitandi ratione, vel qui simili orationis genere utuntur, vel quorum lucrum iisdem promovetur rebus, & sic porro—quod inter hos, inquam, facilime spargatur Fanaticismus, cuius idcirco propagationem his rebus adscribendam judicent. Neque nos hoc negamus: sed ideo tamen a nostra sententia non discedimus. Circumspiciendum enim est, ubi inveniatur ratio cur mortales, in iisdem aut similibus constituti circumstantiis, a se invicem ita ut fieri videmus, commoveantur. Quod igitur attinet ad ejusmodi similitudines, nominatim indolis & mossum, in confessio est, homines in eadem conditione ver-

fan-

fantes, similibus quoque animi motionibus affici sole-  
re. Affectus vero eorum soliti, etiamsi sedati & quiescen-  
tes, mutuae tamen Sympathiæ vi eo facilius excitantur,  
quod saepe alias etiam (ut ita dicam) per se sponte revivi-  
scant. Hæc animorum harmonia ita orta atque a subje-  
ctis (ut loquuntur) ejus observata, ope amoris innati, ju-  
cundos parit sensus, efficitque ut hæc ipsa subjecta, hi  
nempe homines, aliis alium diligant. Quemadmodum  
autem compertum est, eorum, quos amore vel venera-  
tione quadam prosequimur, animi sensus præcipue vim  
Sympathiæ in nos exercere (\*); ita, si illi sensus sint fa-  
natici, evidentissimum est, animi nostri Sympathiam  
etiam per hanc similitudinis viam, dupli vi, propaga-  
tionem Fanaticismi insigniter adjuvare.

Pariter & res se habet quod ad eos mortales qui in  
iisdem cogitationibus & ideis occupantur: quia earun-  
dem idearum series, et si in diversis existentes mentibus,  
iisdem vel similibus finiri solent animi motibus, qui rur-  
sus, eadem ratione & via, qua jam dictum est, vi Sym-  
pathiaæ mutuo expergefacti & cum φιλαυτια conjuncti,  
amicitiæ amorisque ponunt fundamentum; quo facto om-  
nes affectus adeoque & fanatici, facilius cum aliis commu-  
nicantur.

Porro quoniam orationis genus, sive cuique homini  
proprius singularisque scribendi & dicendi mos, cogita-  
tio-

tionum motuumque animi est interpres; liquet, similitudinem hanc dicendi quorundam mortalium, in digitare similitudinem harmoniamque ipsatum etiam idealium vel affectuum: unde sequitur, ut Sympathia animorum in hoc etiam casu, ea ratione quam nuper ostendimus, ad Fanaticismum propagandum magnopere conferat. Ad huncce tamen locum oportet eam addamus observationem, quod Sympathia heic non oriatur ex immediato (ut dicunt) affectum impulsu in sensus aliorum externos; sed vi imaginationis exciteatur, quæ absentes alios in affectu constitutos, prout praesentes, menti repræsentat.

Ulterius observatum est, Fanaticismum faciles quoque apud eos homines habere progressus, quorum lucrum iisdem rebus promovetur. Neque in hoc loco explicando Sympathiæ opera est despicienda: namque proprii commodi studium inter tales amicitiam gignit; & quod amici (ut id jam probavimus) vi Sympathiæ maxime moveruntur; res est evidens.

Præterea cum de propagatione Fanaticismi loquimur; silentio minime prætereundum censemus, apparatus sensibiles, in primis solennes, insigniter eum sustentare. Cujus rei rationem tametsi proximam in eo invenimus, quod vulgus mortalium imperio sensuum, vehementer & multo magis quam intellectus regimini pareat; effectum tamen Sympathiæ inde excludere eo minus decet, quum haec vis ex ea ipsa humanæ naturæ indole originem suam ducat. Etenim in his hanciam sequitur mens homi-

mines nimirum si quædam Fanaticismi insignia, velut e. gr. simulacra aliave ejusmodi vident; inde, per idearum associationem, continuo in mentem non solum revocantur ideæ fanaticæ antea habitæ; sed & affectus cum his connexi denuo excitantur: accedit porro vis imaginationis, quæ aliorum quoque in hac re affectus, antea visos, iterum menti repræsentat; adeoque vis Sympathiæ, hac ratione ex-pergefacta, fanaticos auget affectus: atque hæc intra cù-jusque hominis pectus accidentunt. Quando vero multi simul mortales ejusmodi in sensus externos incurrentes apparatus conspiciunt; multiplicata oritur Sympathiæ contagio, idque modo, quem in antecedentibus descripsimus,

## §. VII.

Ex his igitur animadversionibus quodammodo intel- ligi posse existimamus, quam multum animorum Sym- pathia ad Fanaticismum propagandum conducat. Neque minus perspicuum est, omnes eum impedieni atque suf- focandi conatus irritos ut plurimum fieri, nisi Sympathiæ vis simul frangatur. Minime tamen egregiam hanc at- que ad humanam felicitatem maxime necessariam vim plane opprimendam censemus; quo facto, non tantum maxima pars jucunditatis ex amicitia (cumulo quasi illo dulcedinis vitæ in secundis, svavissimo solatio in adversis) ad mortales redundantis, evanesceret; sed & consortia hominum omni fere delectatione privarentur, homines forent difficiles ac morosi nec non segnes ad beneficia

in

in alios conferenda; imo & virtutis exempla vim præcipuam amitterent. Verum de ea re omnibus mortalibus nitendum contendimus, ut Sympathiam, ab affectibus aliorum fanaticis excitatam, suffocemus. Oritur vero heic quæstio: an possint tales animorum sensus Sympathetici suffocari? Affirmat experientia hoc fieri posse, non tamen sine magna sæpe adhibita cura, quum vel affectibus animamur contrariis simulque vehementioribus quam aliorum animi sensus, vel cum plene persarsi sumus de horum noxa, adeoque eosdem indecoros aestimamus, vel quum ob aliquam causam alios aspernamur. Hinc itaque liquet, in Fanaticismo impediendo, optimam quæ adhiberi possit cautelam & remedium tutissimum esse: eum vulgo contemptibilem reddere, huncque de gravissimis ejus pestis consequentiis bene informare, seu ut omnia breviter complectar; mentes vulgi illuminare.

